a. 390. 23

ORATIO SOLENNIS

QVAM

DE

VERITATE SOMNII FRIDERICI SAX. SEPTEMVIRI COGNOMINE SAPIENTIS

CIVIVM SVORVM NOMINE

HABVIT PVBLICE

IN

TEMPLO ACADEMICO

VITTEMBERGAE

M. IMMANVEL VVEBERVS

VITTEMBERGENSIS SAX.

VII. IDVS NOVEMBREIS

ANNI SECVLARIS cIↄ Iↄcc XVII

EX OFFICINA GERDESIANA

23.

Digitized by Google

VIRIS
MAGNIFICO ATQVE CONSVLTISSIMO
DOMINO
GODOFREDO SVEVO
I. V. D. AC PANDECTARVM IN ACADEMIA
PATRIA PROF. PVBL. CVRIAE PROVINCIALIS
SCABINATVS
NEC NON
IVRIDICAE FACVLTATIS ASSESSORI EMERITO
PATRONO SVO OMNI PIETATIS CVLTV
DEVENERANDO
PLVRIMVM REVERENDO
ATQVE CLARISSIMO
DOMINO
M. IVSTINO WEYRAVCH
VERBI DIVINI PRAECONI ECCLESIAE IN
BAYERSDORFF, GLOEBITSCH ET KOECKERN
MERITISSIMO
AGNATO SVO NVLLIS LIMITIBVS CIRCVMSCRIPTA
PIETATE COLENDO
HANC ORATIONEM SOLEMNEM
SACRAM ESSE CVPIT
M. IMMANVEL VVEBERVS
VITTEMB. SAXO.

Digitized by Google

PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE

PATRES VENERANDI
CETERIQ. O. O. AVDITORES

SIGILLATIM HOSPITES, POPVLARES
ET COMMILITONES

CVM SVI QVISQ. DEBITI HONORIS DELATIONE COMPELLANDI.

Quod magnis arduiſque rerum mutationibus cunctis proprium fere atque perpetuum eſt, ut non repentino atque inexpectato euentu caecas hominum mentes percellant, ſed multo ante, quam contingunt, praeſignificentur, id in iis etiam animaduertimus, quae diuiniori, quem DEVS immortalis a cetera mortalium turba ſegregauit, coetui accidere con-

ſueuerunt. Nunquam illum uel proſpera, uel aduerſa, fata, non praemonitum, oppreſſerunt, utramque ſortem vox coeleſtis, eorum, quae ſperanda eſſent, quae metuenda, praenuntia ſemper praeceſſit. Sane, ſi quam rem magnam DEVS ſuſceptam exequitur, ipſa illa praeſens innumerabilibus ſeſe prodit argumentis, atque in mortalium oculos incurrit. Eadem quando geſta eſt, haudquaquam obliuione deletur, ſed eiusmodi ueſtigia imprimit ſui, quae & ſera poſteritas, niſi caecutire ſua ſponte uelit, nullo negotio agnoſcat. Ipſe igitur concentus ille rerum, quo omnia mire coniungit Sapientiſſimus rerum Arbiter, poſtulat, ut, quae tot tantisque ſe produnt indiciis, ſi aſſint, uel affuerint, etiam ante, quam accedant, quadam ſui parte ad notitiam noſtram perferantur. Hinc ſaepe fit, ut pii uiri, ad ſigna temporum animum aduertentes, euentura aliquando, in coetu recte de DEO rebusque diuinis ſentientium, e longinquo perinde praeuideant, atque alii praeſentia cernere ſolent. Pauci ſane mortalium eo uel pertingunt, uel aſpirare audent, plerique, ſatis officio ſe ſuo feciſſe, arbitrantur, ſi ante oculos poſitarum, earumque maximam partem ad huius uitae commoda ſpectantium, rerum cogitationi totos

Digitized by Google

totos ſe immergant. Verum, ſicut iſti ſupinae negligentiae ſuae poenas dare grauiſſimas coguntur, ita illi prouidae ſuae de futuris rebus ſolicitudinis uberrimos capiunt fructus. Maximam certe prudentia haec utilitatem maioribus noſtris attulit, cum DEVS religionem ſanctiſſimam, ſuperſtitionibus foediſſimis inquinatam, inſtaurare ac priſtino reddere nitori, Diui MARTINI LVTHERI, viri ſupra omnes laudes poſiti, opera, aggrederetur. Haec tanta res non inopinato prorſus euenit, ſed, ſpe atque expectatione ante praecepta, ingenti eos perfudit uoluptate, ac ſummopere ad ueritatem, quae, tenebras eluctata, in lucem denique prodibat, agnoſcendam amplectendamque excitavit. Neque enim fruſtra illi, aut ſine ratione, captauerant omnia, aut ſigna, quae nulla eſſent, ſuperſtitioſa quadam ſibi finxerant credulitate. Arduum illud opus erat, & maximi ad rem Chriſtianam momenti, expetitum uotis multorum, tentatum ſaepe, ſed pro deſperato habitum, diuinis ab Heroe illo auſpiciis ſuſceptum, & ad finem feliciter perductum, triſte initio & plurimis circunſeptum moleſtiis, ſed euentu ſaluberrimum & fructu. Quando igitur plurima, neque natura ſua tam difficilia, neque tam mira euentu & pro-

Digitized by Google

ſpera, ſuis ominibus ac praeſagiis non deſtituuntur, nemo dubitauerit, quin ſacrorum inſtauratio, quam, poſt DEVM, LVTHERO noſtro, eiuſque poſtea ſociis, debemus, multis antea ſignis, quam perficerentur, ſeſe planiſſime oſtenderit ac manifeſtarit. Eius generis, ut alia infinita ſilentio praetermittam, eſt mirum illud ſomnium FRIDERICI, Septemuiri, quem grata poſteritas SAPIENTIS cognomine conſecrauit, ſomnium, inquam, quod eodem anno, quo LVTHERVS nundinas peccatorum uenales oppugnauit, ac nocte cum primis, diem omnium Diuorum praecedente, poſtquam ad cultum iis praeſtandum ſe comparaſſet ſolicite, eaque mente obdormiuiſſet, ſeſe illi obtuliſſe fertur. Viſus nempe eſt ſibi uidere Sapientiſſimus Princeps *monachum*, petentem, ut poteſtas ei concederetur ianuae templi, quo arx Vittembergenſis ornatur, non nulla inſcribendi, qua data, extemplo ille uerbis, quae animo conceperat, ianuam oppleuit. Cuius illa fuerint argumenti, uel non cognouit optimus Princeps, uel, ſciſcitantibus nullis, enarrare eſt oblitus. Duo uero cum primis in ſcriptura illa non ſatis ſe demirari potuiſſe, memorauit, primo, quod literis illa tantae magnitudinis conſtiterit, ut uerba Vittembergae

ſcri-

Digitized by Google

ſcribentis in urbe haud parum inde diſſita, Sueidnizio nempe, licuerit perſpicere, deinde, quod *monachus*, calamo inuſitatae magnitudinis ac formae uſus, literas exarare ſit uiſus. Eum enim, literas efformantem Vittembergae, inde Romam uſque pertigiſſe, ac, per Leonis cuiusdam tranſeuntem aures, tam grauiter Pontificis Romani commouiſſe tiaram, ut nutare & caſum minari videretur. Adduntur huic narrationi quaedam alia, FRIDERICVM accurriſſe, ut tiaram lapſui ſubduceret, duabus item uicibus eum, experrectum, ad idem poſtea ſomnium rediſſe, quae, & alia, ſi qua ſunt, loco ſuo merito relinquuntur. Fieri enim poteſt, ut ueris, uel, quo ornatiora redderentur, & maiorem apud audientes ſibi gratiam parerent, uel, quod relatorum ab aliis non meminiſſent diſtincte, minus uera quaedam adiicerentur. Enimuero haec ipſa ſuſpicio, quantumuis juſta & aequis rerum exiſtimatoribus non improbanda prorſus, fidem rei haudquaquam derogat omnem, merito inter anteceſſiones uerioris, prout inſtaurata eſt, religionis, meo quidem iudicio, referendae. Id quod ipſum ego, ſi Veſtra, AVDITORES, pace, liceat, ſecularibus hiſce ſacris, quae, anno hoc uertente, pio & grato animo peragenda nobis ſunt,

quan-

Digitized by Google

quantum per ingenii facultatem potero, non nihil fuſius oſtendere conabor. Quod dum facere animus eſt, nolim uideri, fabulis lepidis ac ſuauibus ſomniis nimium tribuere, quando, quid de his rebus ſentiendum ſit, neſcire nemini profecto licet. Neque uero inſuper ignoro, quam grauiſſimis ceteroqui rationum ponderibus innitatur ſanctiſſima religio, ſperoque adeo, intempeſtiuum mihi ſtudium ſomnia & narratiunculas incertas, quaſi ſtandum his in cauſa noſtra cadendumue eſſet, defendendi facile ab nemine exprobratum iri. Minime autem omnium exiſtimandum, propterea me pro huius ueritate ſomnii propugnare, quod credam, non aliunde certiora ſuppetere argumenta, quibus euincatur, diuinitus LVTHERVM euocatum excitatumque fuiſſe, ut tyrannidis, quod coetus credentium iam diu tulerat aegerrime, iugum denique excuteretur. Longe ego aliter ſentio, & largior facile, aliis nobis armis, alio certaminis genere, ad rem aggrediendum eſſe, ſi manus ſint cum aduerſariis, de impulſu diuino, conſerendae. Commouit me unice primo ueritatis amor, cuius ſpecimen in re, quae proxime ad religionem noſtram pertinet, me nunc quoddam edere, malam in partem cordatiorum

tiorum interpretabitur nemo. Neque tacendum mihi putaui, his temporibus, quibus homines, ſapientiae inanis gloriola turgidi, dum reprehenſionem ſuperſtitioſarum & credularum nimis mentium deuitant, culpam temeritatis ac praui nouarum rerum ſtudii temere contrahunt, atque, omnia, quae uetuſtas uel tantillum obſcurauit, recte in dubium ab ſe vocari poſſe, arbitrantur, quem ad modum de iſtis inferius plura dicemus. Rem ipſam ſi conſideremus paulo attentius, patebit, ſomnium iſtud FRIDERICI ad aniles fabulas relegari, ſine ſumma iniquitate, haud poſſe, ſed fidem potius eam, quam illae ſibi depoſcunt res geſtae, de quibus dubitat nemo, promreeri. Neque enim illud rumore tantum incerto nititur, qui per tot annorum decurſus ad noſtra uſque tempora permanarit, tametſi ne ille quidem prorſum reiiciendus homini prudenti uidetur. Aniles quidem fabellae omnes admittendae non ſunt, quas fraudulenti homines, ut incautis imponerent, excogitarunt, uel, quas creduli animi, inanes captando umbras, finxerunt., ſi quis tamen rumor primo nihil abſurdi complectatur, deinde

b per

per longum temporis interuallum a nemine interpellatus perſtiterit, nemo eum in re contemnet prorſus, aut, rem, de qua percrebuit, negandam potius, quam affirmandam, putabit. At uero, non rumore incerto illud, quod FRIDERICVM ſomniaſſe, ferunt, ſed teſtimoniis, cuiusmodi in ſimili negotio locus eſſe ſolet, firmiter innititur, quae recitare in praeſenti, minus conſultum fuerit & ab ipſa dicendi conſuetudine alienum. Satis nobis eſt, ipſos aduerſarios ea agnoſcere, tametſi, caeco quodam innouandi omnia ſtudio ducti, labefactare haec atque infringere, multis uariiſque modis, conantur. Largior utique, nec FRIDERICVM ipſum, neque Lutherum, neque alios antiquiores, qui uel Lutheri, uel religionis, a Luthero repurgatae, hiſtoriam condiderunt, illud ſomnium literis mandaſſe, ultro etiam concedo, poetas antiquiores, qui teſtimonium ei perhibeant, reperiri nullos. Neque enim ſilentium eorum tam nocet cauſae noſtrae, quam manifeſte prodeſt. Nam, cum fingendi licentiam ſibi iure quodam ſuo arrogent, iuſta, ſi illi rem referrent, eſſet ſuſpicandi cauſa, iis ipſis fabulam

hanc

Digitized by Google

hanc deberi, quem ad modum uiri docti oſtenderunt, ex hoc fonte plures, de Pontificibus Romanis, narratiunculas uanas incertaſque dimanaſſe. Non igitur aegre poetarum teſtimonio caremus atque aliorum ſimilium, quorum in hiſtoria fides a prudentioribus merito penditur parui, at teſtimonium alii dicunt, quorum permagni ponderis apud homines cordatos non eſſe non poteſt autoritas, Matthias Hoeus & Ioannes Olearius, Theologi ſummi & de coetu diuiniori optime promeriti, quos id temere arripuiſſe, nemo, ſibi perſuaderi, credo, patietur. Taceo Antonium Muſam, Rochlicienſem integerrimum praeſulem, qui ab ipſo Georgio Spalatino id didiciſſe ac literis conſignaſſe fertur. Atque iſti quidem numero ſane non ita multi ſunt, quam forte poſtulauerint, qui, ne nimis multa credant, temerario quodam auſu, in ſuſpicionem iniquiſſimam nihil non adducunt proque dubiis uenditant & incertis. At uero recordabuntur boni illi uiri, non numero, ſed prudentia, ſed bona fide, teſtium, ueritatem rerum geſtarum eſſe metiendam. Non numerandi ſunt, ſed explorandi, fidemne merean-

 tur,

tur, quos ad teſtimonium dicendum aduocamus. Quod ſi ſecus res haberet, ſaepenumero uincerent, qui uaniſſima quaeque proterue animo tuentur, & caderent cauſa, pro quibus ipſa ueritas clamat & pugnat. Ita uerendum eſſet, ne, qui partes Muhamedis, nequiſſimi impoſtoris, tuentur, nugas ſuas, ingenti teſtium nube haud carentes, grauiſſimis Chriſtianae doctrinae capitibus anteponere conentur. Dabimus igitur, paucos eſſe, qui teſtimonium in cauſa noſtra perhibent, ſed conuincent hi ipſi, quantumlibet pauci, quod homines temerarii pluribus non crederent magis. Quae enim cunque a teſtibus, fide dignis, requiri poſſunt, ea in noſtris omnibus certo deprehenduntur. Neque enim, in re tam facili, decipi ipſi potuerunt, neque, in literas ab iis relatum eſſe, conſentaneum eſt, quod, uerumne eſſet an uanum, nullo negotio reſciſcere potuerunt. Abſit autem, ut credamus, de induſtria eos confinxiſſe, quae populo placerent, fabellas. Maior profecto uiris tantis reuerentia debetur, quam, ut hac tali eos ſuſpicione liceat onerare. Tanto autem aequius eſt, iis fidem adhibere, quod nemo his,

uel

uel publice, vel clanculum, quod ſciamus, contradixit per multorum interualla annorum, prouti quidem heri demum nudiuſue tertius, homines nouarum rerum ubique ſtudium prae ſe ferentes, facere coeperunt. Nemo non narrationibus eorum aſſenſus eſt, eaſque calculo ſuo, rationibus ſubductis, comprobauit. Factum id a uiris, ſummo iudicii acumine pollentibus, cum primis a uenerabili illo Argentoratenſium Theologo, Danhauero, qui ſane, tametſi homines, quibuſcum res nobis eſt, ſoli ſibi ſapere uideantur, atra ab albis, a fabulis figmentiſque putidis ueras hiſtorias, diſcernere callebat. Verum dixerit quis, teſtimonia una euincere nihil poſſe, rem ipſam propius eſſe expendendam, ut, an fieri potuerit primo, tum etiam, an uero ſit ſimilis, atque, an probabilibus fulciri poſſit argumentis, perſpicere detur. Enimuero, ſi huc iam progrediamur, aequis rerum exiſtimatoribus, non malam nos, deſperatamue, defendere cauſam, probaturi facile ſumus. Quid enim, quaeſo, abſoni complectitur narratio iſta, quid in illa pugnat, minuſue cohaeret? Diſſimili ſane ratione illa contexta legitur,

Digitized by Google

gitur, plura aliis, aliis referentibus pauciora. Sed uero, parum in huius generis rebus ſit uerſatus, oportet, quem iſtud conturbare poſſit. Anne enim res ulla memoratur Scriptoribus, quae uſquequaque ſibi ſimilis uideatur? An uero tam abſonum eſt, quod *monachus* iſte, omnibus Diuis cinctus, ad FRIDERICVM acceſſiſſe dicitur, ut libertatem ſcribendi quaedam ante templum arcis Vittembergenſis exoraret? Fierine poteſt, ut omnes ſe ſancti in ſomniis alicui offerant, hoc eſt, ut credat, eos adeſſe omnes, quando ingens eorum numerus oculis atque animo eius obuerſatur? Neque abſurdum eſt, FRIDERICVM, cum fratre IOANNE, primum accurriſſe, ut labantem Pontificis Romani tiaram firmarent. Quanquam enim uterque poſtea ueritatem, quam Lutherus in lucem protrahebat, protexerunt, hiſtoriarum tamen monumenta docent, ſub initium eos, maximeque FRIDERICVM, Luthero ita addictum haud fuiſſe, quin, honorem Pontifici ſummo, quem per multorum ſeriem annorum ſibi uendicauerat, ſartum, tectum, cuperet, ſeruari. Nec Lutherus ipſe principio Romanorum praeſulum

au-

autoritatem oppugnabat aperte, quamuis doctrina ipſius eorum fundamenta potentiae manifeſto ſubruebat. Haec autem narratio, de ſomnio FRIDERICI, non modo nihil in ſe, quod eam deſtruat, complectitur, ſed etiam conſiderata penitius, ſuppeditat non una, quae eam ueroſimilimam reddant. Somnium enim illud, uel humanum, cuiuſmodi mens, nocturno tempore otioſa, fingere ſibi ſaepe ſolet, uel, ut diuinum, a coeleſti Numine, quod cum piis conſilia ſua familiariter communicat, immiſſum, ſpectari poteſt. Quod ſi, ut diuinum, conſideretur, cuiusmodi illud eſſe, uiri ſummi agnouerunt, & quibus ego, quicquid profanis hominibus uideatur, libens uolensque ſubſcribo, multa ſane id probabile admodum efficere uidentur. Quae ſi omnia fuſius hoc loco enarrarem, patientia profecto Veſtra, AVDITORES, crederer merito grauiter abuti. Duo igitur tantum paucis perſtringam, cetera, animum leuiter intendentes, facile intelligetis ipſi, quorum prius in ſuperioribus iam attigimus aliquantum. Fert id prouidentia diuina, ut, ſi quas res molitur magnas, ſigna fere & omina quaedam praemittat, unde

Digitized by Google

unde conſilia eius arcana elucent, & ante, quam perfecta ſint, clariſſime cognoſcuntur. Quam uero rem agitare maiorem diuina mente DEVS O. M. praepotenſque potuit, quamnam gloriae ſuae conuenientiorem, coetuique piorum magis ſalutarem, quam, cum ueriorem ſui cultum, tot annorum interuallis caligine obrutum, retrahere in lucem, & ſuperſtitiones nefandas, quae faciem eius, olim nitidiſſimam, decorabant, conſtituit exterminare. Tantam uero rem praemonitionibus praeſagiisque, diuinitus immiſſis, caruiſſe, cui uerisimile uideatur? Quis neget, ſomnium, de quo nobis ſermo eſt, uel potuiſſe a DEO obiici, uel reapſe obiectum eſſe, cum uiri id fidei minime ſuſpectae, ſine ulla dubitatione, affirment? Praeterea, quod ſecundo loco monemus, ut hoc ipſum, quod diximus, tanto firmius reddatur, utique conſtat, Principibus, qui Maieſtatem diuinam in orbe terrarum referunt, arctius quoddam cum DEO immortali commercium intercedere, eos ad arcana conſilia propius, quam ceteros mortales admitti, atque adeo in arcanos rerum futurarum receſſus, quam altiſſime fieri poteſt, penetrare.

Digitized by Google

trare. Ad quod commercium tanto illis facilior patet aditus, quanto magis uel ſapientiae, uel ſanctitatis, laude florent, ceteriſque mortalibus antecellunt. Plena ſunt exemplorum huius rei oracula diuina, in ſacro codice ad hominum ſalutem memoriae prodita, plena profanarum monumenta hiſtoriarum. FRIDERICVM autem cum primis iis, quae principem decent, quasque commemorauimus paulo ante, uirtutibus ornatum ſummopere fuiſſe, ii etiam, qui, ueritatis, quam ille protexit ac tutatus eſt, inimici, laudibus eius detractum malint, ſponte, nec inuiti, confitentur, Non igitur profecto a ſimilitudine ueri abhorret, ſomnio eum diuino, de inſigni rerum futurarum, quae imminebat, commutatione, praemonitum fuiſſe. Ac uix credibile uidetur, fuiſſe eum paſſurum, ut noua, quam uulgus appellabat, doctrina uel exiret primum, uel latius per omnes eius terras manaret, niſi DEVS aliam ei mentem, quam illorum ſuperſtitio temporum ferebat, hac, vel ſimili, ratione inieciſſet. Sed, ut homines peruerſi omnia, quae manifeſte diuina ſunt, humanis cauſis, noſtra tempeſtate, tribuere ſolent, ita erunt

Digitized by Google

fortaſſe, qui, ſomnium iſtud diuinum eſſe, negantes, ex naturalibus cuncta principiis deriuabunt. Quorum ſane profanam ſententiam, quae potiſſimum religionem omnem ſubuertendi conſilium haud obſcure prodit, cum cordatioribus omnibus, non poſſum ego non reiicere & auerſari. Quod ſi tamen uel maxime fingamus, humanum illud eſſe, nihil certe reperiemus, cur illud in dubium uocari mereatur. Cörrupta coetus Chriſtiani facies omnium, iam diu, oculos animoſque ad ſe conuertebat, uotaque ac deſideria non tantum ardentiſſima audire erat, ſed etiam conatus cernere hominum, ſpiritu diuino agitatorum, qui cum ſuperſtitionibus fortiſſime colluctabantur. Quibus quidem cum adhuc res ex uoto non ſucceſſiſſet, facile in eam ſententiam deſcendere pii potuerunt, tandem aliquando fore, ut poſtliminio reſtituatur religio uerior, &, uel inuitis aduerſariis, magno omnium bonorum gaudio, caput extollat. Eadem, quae complures alii, haud dubie uidit Sapientiſſimus Septemuir, quarum rerum cogitationi intentus, cum aliquando cubitum iret, fieri ſane potuit, ut, quae optauerat, iam effecta reddi,

in

in ſomnio uiderentur. Conſtat enim, nocturno tempore dormientibus nobis ſimilia iis in mentem u.nire, quae interdiu, altioribus immerſi cogitationibus, nobiſcum coepimus reputare. Dicet uero aliquis, ſomnium illud tam mira & a noſtris remota cogitationibus exhibere, uix ut illud a mente humana effingi potuiſſe uideatur. Sed iſtud quidem parui momenti eſt, & ueritati huius ſomnii officit parum. Cui enim ignota eſt animi, etiam, quando nihil agere uidetur, in agendo uarietas? Quam mire is, ſomniantibus nobis, res undiquaque colligit, locat, pingit, efformat. Deinde hoc ipſum nequaquam conficit, ſomnium illud non contigiſſe reapſe, ſed potius, diuinum eſſe, modis omnibus euincit. DEVS enim, qui uatibus ſanctiſſimis res futuras, miris imaginibus obuolutas, tempore ueteris illius Inſtrumenti, exhibuit, ſemper ſibi ſimilis, noſtra aetate idem ſequitur inſtitutum. Quae cum ita ſe habeant, quid eſt tandem, cur homines, ingenio ſuo, quo nimium quantum ſe efferunt, abuſi, dicam nobis ſcribunt credulitatis, qui, ſomnium illud non confictum,

Digitized by Google

ſed uerum, eſſe, arbitramur. Argumenta ſane, quibus inducti, id faciunt, nunquam, ut ſententiam mutemus temere, nos adducent. Quid enim magnopere eſt, quod obiiciunt, quam id unum, plures, qui Lutheri uitam, uel FRIDERICI, Principis, deſcripſerunt, rem eam ſilentio praetermiſiſſe. Haec concludendi ratio, quae, ſi alia asſint rerum argumenta, non nihil ualere poteſt, eadem, quando una ac ſola adhibetur, nihil prorſus euincit. Multa in hiſtoriis occurrunt, quae, a plurimis praetermiſſa, commemorantur a paucis, quaeque nemo propterea in dubium uocauit. Neque illud rerum ueritati geſtarum periculum creat, quod non eo ipſo tempore, quo geſtae ſunt, literis mandantur. Fieri enim poteſt, ut eorum diligentiam fugerit ac ſtudium, qui illorum hiſtoriam temporum contexuerunt. Praeterea quoque potuerunt illi, opera data, rem omittere, ſi uel maxime cognitam perſpectamque habuerunt. Denique haud abſimile eſt uero, quantum ad praeſens negotium attinet, iccirco de ſomnio hoc ſiluiſſe Lutherum ac ſocios eius, quod, fanaticos homines,

mines, quibus ſomnia in deliciis erant, illud in rem ſuam tracturos eſſe, arbitrarentur. Atque iſta quidem ratio firmior eſt, quam, ut conuelli temere poſſe uideatur. Non enim eſt ſine ſuo excidiſſe dicendus, qui illud immiſit, DEVS, ſi literis id mandandum non curauit FRIDERICVS, aut plures celauit. Satis enim profuit, ſatis religioni ueriori attulit ueritatis, ſi optimum Principem, ut eam pullulantem non reprimeret, ſed, incrementa magis magisue capere, pateretur, commonefecit. Picturam uero fingendo huic ſomnio occaſionem ſubminiſtraſſe, dici facilius poteſt, quam firmis rerum ſignis argumentiſque probari. Quid enim picturae illi cum FRIDERICO, Septemuiro? Cur, qui ex illa ſomnium effinxerunt, Sapientiſſimum Principem in ſubſidium ueluti uocarunt? Anne, ſine illo, fabula, ſi fabula eſt, conſiſtere non potuit? Vbinam reperitur pictura illa, uel quonam tranſiit terrarum, ſi extitit unquam? Quod enim non nullae Pontificem Romanum exagitantes, in lucem prodierunt, an inde efficitur, aliquam extitiſſe, quae narrationi huic occaſionem ſuppeditarit? Iſtae ac ſimiles concludendi rationes an

non dedecent uiros, qui ceteroquin altius ſibi ceteris mortalibus ſapere uidentur? Quid enim tabulae pictae, futura Chriſtianae rei fata denuntianti, cum picturis, Pontificem Romanum, & purpuratos, hoc illoue modo, ridicule exhibentibus, de quibus memoriae proditum legimus paſſim? Sed facile, AVDITORES, quam infirma haec, quam ſint inania, intelligitis, quibus proinde longius immorari nolo, qui Veſtras aures oratione incompta jam diutius iuſto mihi uideor fatigaſſe. Perſtabit igitur ſomnii huius diuini ueritas, quantumcunque homines, in his talibus rebus ingenii laudem praepoſtere captantes, labefactare eam & conuellere conentur. DEVM uero immortalem perſancte ueneror, ut ſanctiſſimum religionis repurgatae, cuius quaſi praeluſionem defendere ſuſcepimus, Palladium ſartum nobis tectumque perpetuo relinquat, neque illud aduerſarios, qui uel aperte minitantur ei, uel cuniculis id clanculum oppugnant, extorquere, aut intercipere, unquam patiatur. Seruet coetus Lutheranos, ſeruet Vittembergam noſtram, bonarum artium & uerioris de DEO doctri-

nae